Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26154
Copyright: Admont, Benediktinerstift



testatur per comparationem dicens. Letabor ego super eloquia tua. sicut qui inue
nit spolia multa. Que spolia multa iccirco uocata sunt. quia ad fidem
domini gentilitate transeunte iudei sacris eloquiis quibus induti fuerant
exuuntur. De hac quoque argenti uel spolioque diuisione alias dicitur. Be
niamin lupus rapax mane comedet predam uespere diuidet spolia
Quibus profecto uerbis paulus apostolus designatur. de beniamin stirpe progenitus
qui mane predam comedit. quia in primordiis suis. fideles quos potuit
rapiens crudelitati proprie satisfecit. Uespere spolia diuidit. quia fi
delis primo modum factus sacra eloquia exponendo distribuit. quamuis
hoc argentum quod diuidit innocens intelligi et aliter potest. He
retici namque ut facile ualeant perusa suadere dictis suis quedam
recta permiscent. ut animas audientium ex rectis sensibus trahant
et ex peruersis feriant. Qui in preceptis dei quia sana insanaque locu
tione uariantur. bene in euangelio decem leprosorum sunt specie desig
nati. Quorum colori sano dum uiciosus candor aspergitur. immode
rato hoc candore fedantur. Unde admonemur non plus sapere
quam oportet sapere. sed sapere ad sobrietatem. Qui etiam quia nec
dum diligunt de quo male sentiunt. nec proximum a quo diuiduntur.
de calogi preceptis aduersi sunt. atque ideo ad deprecandum dominum de
cem ueniunt. Pro eo autem quod sanis insana miscuerunt. coloris di
uersitate uariantur. Sed quia in eius preceptis offenderant. id illum unde
offenderant uocant dicentes. Ihesu preceptor. Unde et mox cura
ri meruerunt. Ergo quia uir catholicus que ab eis recte uel que pra
ue sentiantur intelligit. argentum innocens diuidit. id est que ab eis
salubriter uel que pestifere fuerint dicta discernit. Sequitur. Edifi
cauit sicut tinea domum suam. et sicut custos fecit umbraculum. Ti
nea sibi domum corrumpendo edificat. Nec meliori potuit com
paratione hereticus demonstrari. qui locum sue perfidie non nisi in men
tibus quas corruperit facit. Qui etiam sequaces suos ab eterno esse igne
liberos pollicetur. Spondet quippe eis refrigerium quietis eterne. sed uerba
eius soliditatem non habent. quia plerumque plenitudine ueritatis

D. M.